PHILOSOPHANDI

PERVERSA RATIO

ARTES ET SCIENTIAS

CORRUMPIT AC PERDIT

ORATIO EPIDICTICA.

TARVISI

EX TYPOGRAPHAEO ANDREOLIANO.

MDCCCXXIII.

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. DOMINO

JACOBO MONICO

SEDEM EPISCOPALEM CENETENSEM

PRIMUM ADEUNTI

PAROCHI CONGREGATIONIS S. ZENONIS

TARVISANAE DIOECESIS.

Unicuique serio cogitanti patebit ita mortales comparatos a natura fuisse, ut si ob eximias virtutes, et praeclara merita contingat quempiam ex suis dignitate quandoque, et conspicuis honoribus augeri, maxima conterraneos efferri laetitia, et alacritate; at si novum decus de loco amoveat, alioque transferat dignitate adauctos, tum gestiens ipsum gaudium aliquid habeat moeroris permixtum necesse est. Quam ob

rem cum primum optio tua in Cenetensem Praesulem tanto omnium plausu percrebuit, haud scimus an majori gestiverint exultatione vetustae illius Urbis Cives, cunctaque illa ecclesiastica regio, an acerbior extiterit nostratium maestitia, quod non amplius nobis in posterum tua praesenti uti familiaritate, et optatissima comitate frui liceret. Quod si hic ex omnium Tarvisanorum animis, immo universorum in hac Dioecesi degentium moeroris sensus erumpit, eheu! quantum in nos praesertim tui relinquis desiderium, qui antiquum animi candorem, et caeterarum virtutum comitatum, quo exornaris, mentisque amplitudinem probe novimus. Siquidem soli natalis propinquitate, diuturna necessitudine, sacrorumque, quibus fungimur, similitudine officiorum ita tibi devinciebamur, ut vinculis nequeant homines gratioribus mutuo conglutinari. Nos idcirco solitudinis levamen quaerentes nil antiquius duximus, quam aliquo te amoris, et reverentiae erga te nostrae testimonio prosequi. At vero quidnam Tui minus

indignum per nos erat offerendum? Tu foecundo praestans ingenio, Tu assiduis omnium disciplinarum studiis eruditus, Tu venustissimis scriptis, plurimisque editis longe celeberrimus, adeo ut cum aliquid tibi novitatem praeseferens valde esset difficile exhibere, illud occurrit tibi minime injucundum fore praeterita in mentem revocare. Tali consilio orationem hanc praelo committere tuo nomine condecoratam statuimus. Quam igitur inter Seminarii parietes superioribus annis a Clarissimo Viro Antonio Canonico Pellizzari (1) *studiorum moderatore auditam maxime probasti, modo tuis auspiciis editam fas erit perlegere. Enimvero forte tibi arridebit te posse commodius animo perpendere alios quoque in eadem tecum convenire sententia, scilicet, quoscumque mala tenet philosophandi ratio, eos artes omnes, et scientias coinquinare; ideoque ipsammet divinarum rerum doctrinam, cujus tu Magister, Custos, et Vindex Sanctae Romanae*

(1) Habita oct. Kal. Jun. an. 1807. in Seminario Tarvisano.

Sedis oraculo recenti dignitate declaratus existis, pessum ire,

Omniaque illius vitio corrumpier intus. (*Lucr. lib.* 6.).

Nec te ita existimare de mala philosophandi ratione, casu asseruimus; quandoquidem non modo mentem humanioribus literis apprime expolivisti, ut soluta potueris oratione, et numeris coacta ornate, eleganterque plurima dictare, non modo philosophiae arcana intimius pervasisti, ut scripta tua tot illius luminibus, veluti gemmis quibusdam, ornata testantur, sed theologicis quoque scientiis ita animum imbuisti, quo salebrosum parochi munus penitus cognoveris, et probe expleveris, nec illud episcopale, angelicis caeteroquin humeris formidandum, Deo opitulante, ratio sit cur pertimescas.

Ergo perge age quo tua modo te vocat celebritas, oculos exsatia diu expectantium, imple vota, tecumque hoc veluti munusculum, levem sarcinam deferre minime pigeat. In hoc cum lumina converteris, in mentem forte subeat dulcis quodammodo transacti

temporis recordatio, quod in excolendis adolescentium ingeniis impenso tui labore, et miro illorum profectu insumpsisti, teque adhuc inter illos versare tibi fortasse non ingrata deceptione videbitur; nostrum quoque inter gravia episcopalis officii munera memineris, qui te nos inter commorantem summa existimatione prosequuti sumus, ac jugi observantia longinquum prosequemur. At non te pluribus detinebimus, o Homo Dei, *tantummodo eum exora,* qui te vocavit vocatione sua sancta [1], *ut in tempore quo* a veritate auditum avertent, [2] *possimus vigilare, in omnibus laborare, opus facere Evangelistae, ministerium nostrum implere, et* ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate [3]. *Teque interim christianae reipublicae bono natum sempiternum Deus sospitet.*

(1) 1. Ad Timoth. 6.
(2) 2. Ad Timoth. 1.
(3) 1. Ad Timoth. 2.

PHILOSOPHANDI

PERVERSA RATIO

ARTES ET SCIENTIAS

CORRUMPIT AC PERDIT

ORATIO.

Quanquam philosophi nomen sibi primus Pythagoras adsciverit, multos tamen, saeculis superioribus, in sapientiae studium et veritatis investigationem incubuisse compertum est: ita ut vel a mundi exordio praestans haec disciplina coleretur. Etenim in primis illis hominum coetibus, qui terram incoluerunt, fuisse scimus, quos sapientiae amor teneret, magnumque naturae investigandae desiderium. Nonne filii Jubal, ut Moses memoriae prodidit, musices instrumenta fabricati sunt? nonne cantus ac sonorum leges definierunt? Quid de Tubalcain dicam? qui aeris et ferri metalla didicit in usus humanos parare atque convertere? Quae

quidem quis faceret, nisi speculator venatorque naturae? Ecquis porro Zoroastris nomen ignorat, qui inter Chaldaeos floruit, quos antiquissimum doctorum genus vocat Cicero, cum proximi a diluvio claruerint? Quid referam Bracmanes Indorum? quid Phaenicum Sanconiatonem, aut Egyptiorum Mercurium Trismegistum, vel aliarum gentium sapientes? Jam porro inter Graecos innumeri pene homines doctrinae ac sapientiae fama excelluerunt, ex quibus deinde et ipsa Roma instituere didicit Gymnasia, atque, sero licet, in naturae studium ita incubuerunt Quirites, ut Graecorum Lyceum aut Porticum minime desiderarent. Et quae urbs, Athenas aemulata, Atticorum in poesi, et eloquentia gloriam jam pridem aequiparare studuit, in philosophicis etiam disciplinis imitata est, ac prope superavit. Barbarorum tamen agmina, heu miseram conditionem! saepe ex ultimo Septentrione in Italiam invadentia, literas, artes, omnemque animi cultum sustulerunt, ac profligarunt. Sed quid inde? quid censetis? perculsam illa clade Philosophiam perpetuo extinctam jacuisse? Immo vero, uti ex illo squalore casuque acerbo se aliquando recepit, clariore circumdata luce nitens, extulit caput, ut non vires

amisisse, sed auxisse videretur. Quapropter nonne perspicuum est, non posse homines quin philosophentur? dummodo vel primis coeperint expoliri literis atque artibus, sensuumque nuntios, ac mentis ideas contemplari atque internoscere didicerint. Etenim cum in hac rerum infinita universitate versentur, diversaque illarum impressione hominum animi moneantur esse eas cum illorum dolore aut voluptate, necessaria quadam naturae lege, conjunctas; cum universi magnificum et apparatissimum spectaculum ante oculos positum circumspiciant; qui fieri potest ut non moveantur? non latentes causas inquirant? non scientiae utilitatem, non decus atque ornamentum sectentur? non denique innato sapientiae desiderio et cupiditati obsecundent? Quantam itaque scientiae supellectilem hominum generi paravissent philosophi; quot errorum aditus praeclusissent, si in veritatis investigatione, non confictas inanesque mentis species, non animi levitatem ac jactantiam; sed certa naturae vestigia essent rite ac religiose secuti? Sed cum singuli ex philosophis; sed ii praesertim, qui familias ducunt, in contraria caeco quodam impetu raperentur, tot lites extiterunt, tot contentiones, quibus

recentiores priorum vel aequalium opiniones et scita oppugnabant, ut, mutato fere in dies Philosophiae vultu, dubitare omnes possent, num rem ipsam, an vero fallacem umbram amplecterentur:

> Quale per incertam lunam sub luce maligna
> Est iter in sylvis; ubi coelum condidit umbra
> Jupiter, et rebus nox abstulit atra colorem (1).

Denique eo usque philosophorum processit inconsiderata ac demens temeritas, ut Varro gravissime pronuntiaverit: *Nemo aegrotus quicquam somniat tam infandum, quod non aliquis dicat philosophorum* (2).

At enim post varios casus, post tot Philosophiae discrimina, nacti tandem optatissimum saeculum tot summorum virorum inventis, tantaque Philosophiae luce illustratum, ut non modo viris, sed vel mulierculis, pene dixerim, probro ducatur, nisi illius scita redoleant; probatissimam tandem aliquando sapientiae conciliatricem tuto, fidissimamque sequemur.

O utinam se ita res haberet! Sed nondum vera ac certa ad veritatem investigandam munita via est; oppositaeque adhuc doctorum hac super re sententiae satis monent, in multa nos

(1) Virg. 6. 270.
(2) Apud. Non. c. 1.

etiam nunc rerum ignoratione et obscuritate versari. Quem sequatur igitur auctorem, cui se credat adolescens? cui auscultet? Quemnam denique ex tanto, tamque vario praeceptorum numero, tutissimam sibi viam commonstrare arbitretur? Si enim temere ac fortuito cuilibet se itineris duci tradat, ejusque voci obsequatur; nonne facile fiet, ut in avia ac praerupta compellatur, atque inter lustra ferarum, ut ita dicam, quarum objectus furori misere dilaceretur? Etenim per opinionum ambages incidet nec opinato in errorum insidias atque praestigias, ita ut recta ejus ratio, indiscreta insolentique rerum facie decepta, alucinetur. Si igitur ab imperitis hominibus, ut recte nobis consulamus, cavendum est; quanto magis illos vitare debemus, qui decipere dedita opera incautos machinantur, et Philosophiae nomen veluti quoddam integumentum tanto facinori praetendunt? Jam vero cum anno superiore ex hoc ipso loco, vobis sedentibus ac disceptantibus, illud mihi demonstrandum susceperim, recentium Peripateticorum philosophandi rationem, strigosam nimis ac sterilem, poesi atque eloquentiae nocuisse; non ingratum vobis nec injucundum me facturum existimavi, si generatim hodierna die sermonem de Philosophia

instituens, ostendero, illam, cujuscumque tandem modi sit, si aliquo vitio laboret, artes ac scientias pessumdare, penitusque depopulari. Quae res in praesenti agatur, quantique momenti, jam pervidetis, Auditores; quae quidem, non meam in dicendo inopiam ac jejunitatem, sed disertissimi oratoris eloquentiam exposceret. Cujus autem sint ponderis ea, quae in medium proferam, tum demum cognoscam, cum vos pro vestra sapientia de universa disputatione judicaveritis. Illud interim reficit ac recreat mentem meam, non esse quare sententias vestras extimescam, quia, sin minus res et argumenta, at dicentis voluntatem facile probabitis: quoties enim in conspectum vestrum verba facturus prodii, et tanta me frequentia condecorastis, et tanto studio ac favore prosequuti estis; ut ego, vestram benignitatem jam expertus, in spem adducar, eamdem et hodie mihi minime defuturam.

Non est cur hoc loco persequar Philosophiae laudes, quam viri doctissimi, ultima memoriae tempora repetentes, magna eloquentiae et argumentorum ubertate magnifice atque amplissime concelebrarunt. Illud tamen animadvertendum censeo, quod in nostram rem ca-

dit, in tres veluti partes dividi hujusmodi disciplinam a Cicerone, ita ut *una sit naturae: disserendi altera: vivendi tertia*[1]: qui alio loco sapientiam vocat: *rerum divinarum et humanarum, causarumque, quibus hae res continentur, scientiam*. Jam vero prisci illi homines cum universi hujus aspectu jucundissimo delectarentur, atque illud intelligerent, ipsorum vitam cum rebus ipsis ita esse conjunctam, ut earumdem adminiculis necessario indigeret; corpora ipsa primum sunt contemplati, unde physici audierunt; deinde in admirabilem ordinem, constantiam, totiusque mundi ornatum et pulchritudinem oculos, cogitationesque converterunt. Hinc non terras modo et maria, sed caelos etiam atque astra, mente ac ratione peragrati, mira daedalae naturae opera percipere, corporumque materiam, variasque eorum mutationes, tum anni vicissitudines, rerumque omnium causas cognoscere conati sunt. Sed quid profecto prodesset homini extra se rapto multa subtiliter curioseque de rerum natura disserere, nisi majorem curam operamque in homine ipso cognoscendo, in illisque binis substantiis distinguendis, quibus compactus est, sibi ponendam arbitrare-

(1) Fin. lib. 5. cap. 4.

tur? Quid enimvero pulchrius, quid utilius, quid magis necessarium potest esse homini, qui caeteris mundi rebus dignitate praestat, quam seipsum noscere, tum illud ipsum praecipue, quo res alias intelligit, quo denique cogitat, et ratiocinatur? Propterea illam hominis quoque partem, licet materiae expertem, quae ratione pollet, sibi jure optimo vindicavit Philosophia; atque eo usque sibi viam stravit, atque eo pervasit, quo permeant rerum externarum imagines ac perceptiones, ubi mens ipsa, in sui velut imperii arce, metitur, calculos init ac subducit, comparat, deducit, longasque ratiocinationum catenas texere consuescit. Eadem ipsa Philosophia admirabilem sensuum fabricam, qui sunt animae veluti ministri, ex quibus allatas haurit rerum notiones, accurate sollerterque incidit atque aperit: tum cordis intima perscrutatur, ut ipsius naturam, variosque affectuum motus assequatur. Itaque dicet aliquis cum homini sit propria veri inquisitio atque investigatio, ex eaque non exiguam percipiat voluptatem, ad illam quoque animi tranquillitatem tandem perveniet, atque illam beatitatem summumque bonum aucupabitur, in quod omnes necessario quodam naturae impetu feruntur. Itane vero? annon po-

tius plurimum sibi deesse miretur, cum videat arbores atque herbas, bestias, astra, totamque terram et caelum, statis perfectisque legibus parere, nihilque in illis inesse, quod rectum perturbet ordinem, quodque a naturae praescripto vel transversum unguem, ut ajunt, excedat; se autem impotentium affectuum vi impulsum in flagitia abripi ac scelera praecipitem, quo ejus vita majoribus semper aerumnis ac miseriis conflictetur? At enim quod, per fidem, humano generi remedium adhibere Philosophia potuisset? qua ratione ejus vulnera sanaret? qua denique devium in rectum virtutis callem reduceret? Frustra jam praecepta ac promissa inculcasset Philosophia, frustra se jactasset: nisi e caelo medicina esset allata, de hominum felicitate actum esset, magnisque ac desperatis, eheu! morbis adhuc torquerentur ac ingemiscerent. Illud tamen fatendum est multa saepe bona in hominum societatem ex illa disciplina manasse, siquando rationem consuluit, eique morem gessit. Hinc vitae normam perscripsit, moresque ita componere studuit, ut vitia atque errata aliquantum compesceret: hinc fuit magnificis laudibus plus aequo cumulata: hinc dixit Tullius: *Philosophia virtutes continet, et officii, et bene*

vivendi disciplinam (1). Sed quorsum haec disputo? quorsum? ut illud intelligatis naturae interpretem esse Philosophiam, quae terram, caelum totumque universum: qua latissime patet, permeat ac perscrutatur: quae naturae ipsius opera accuratissime intuetur, ut ejus molitionem intelligat, sollertiamque quodammodo praeripiat: quae humanae mentis vim naturamque inquirit, ejusque perceptiones perpendit, tum judicia ac ratiocinationes ad examen revocat: quae denique mores ipsos, ne singulis civibus aut reipublicae universae noceant, certis legibus coercet, atque compescit.

Jam vero quis nesciat humanas artes omnes et scientias a sola natura derivari, ita ut aliunde esse, atque ali nullo modo possint? Quid enim in pictura, ut plurimas artes praetermittamus, minus liberales quidem, sed necessarias atque utiles, sed quid in pictura, caelatura, et statuaria, quod non e sinu gremioque naturae? Nam signa, tabulae, caelamina earum rerum, quae sunt, formas imitantur et referunt. Si vero artifex exhibere velit sphinges, centauros, harpyias, monstra, quae nullibi inveniuntur; omnia tamen naturae

(1) In Pison.

ipsius ritu fingere atque exprimere ita debet, ut ab ea jam efformata videantur. Falleretne intuentium oculos pictor, delectaret tabella, nisi eminentia atque umbris formas distinguat, tum symmetriam membrorum custodiat, atque, ubi opus est, in compendia contrahat? nisi agentis motus, nisi musculorum sciat simulare qua contractionem, qua porrectionem? oculorum, totiusque vultus habitum, atque varios affectuum in ore colores, et quidquid rem universam absolvit ac perficit, probe imitetur, et legi, seu normae illi denique in singulis obtemperet, quam natura ipsa sibi fixit ac perscripsit? Quid? nonne ridentur ii qui signa fabricantur, nonne caelatores, ubi ab ejusdem naturae exemplari desciscant? Orator igitur quisquam fuerit, aut poeta, qui non philosophus? Quis in literarum disciplinis tam peregrinus et hospes, aut stipes aethiops inveniri potest, qui hoc sibi persuadeat? Plaususne poeta feret, an verius exsibilabitur et explodetur, nisi humani cordis indolem probe noverit, nisi naturae studio et meditatione edoctus, impotentium affectuum vim, loquendique morem perdidicerit? Qua ratione orator se in audientium animos insinuabit, eorumque assensionem, quod factu difficile est, captabit,

atque adeo extorquebit, nisi prius mentis animique naturam penitus perspexerit, atque ab ipsa naturae interprete Philosophia praecepta acceperit, hauserit, expresserit? *An tu existimas*, inquit Tullius, *aut suppetere nobis posse, quod quotidie dicamus in tanta varietate rerum, nisi animos nostros doctrina excolamus? ex his enim studiis haec quoque censetur oratio et facultas* (1). Quid Demosthenes? Nonne a Platone institutus est, ita ut ejus in eloquentia laus et gloria Philosophi praeceptis debeatur? Atque, ut caeteros silentio praeteream, unde Euripidis carminibus tanta omnium approbatio comparata, nisi e schola Socratis, et Anaxagorae?

Sed et scientiae ipsae Ethice, Politica, Physica, Metaphysica, Medicina, Theologia naturalis, caeterae ita pendent a Philosophia, itaque in ea consistunt, ut germani ejusdem foetus, vel quasi matris membra, censeri possint. Sed de scientiis suo loco paulo uberius disseremus.

Verum, ut luculente pateat, et quasi oculis subjiciatur quo pacto artes et scientiae naturae adhaerescant, ex eaque vivant, naturam ipsam agro similem cogitatione fingamus, ex

(1) Pro Arch. c. 6.

quo stirpes succum trahunt, quo alantur ea, quae radicibus continentur. In eorum quippe fibras ac medullas immisso succo ac diffuso, laeta proveniunt atque augescunt; trudunt se frondes, odorique flores, quos baccarum deinde, et pomorum ubertas consequitur. Quid porro soli uber juvat, nisi glebae humorem radicum hiantia ora combibant? Nempe nisi cultoris adsit industria, qui quo sidere quaeque serenda sint, vel transferenda, non ignoret; qui, campi cognita natura, suo quaeque loco ponat; nihilque eorum negligat, quae vel ratio suaserit, vel experientia docuerit, vel artis hujus peritissimi praeceperint. Quae quidem omnia nisi sedulo praestet, ut ut pinguis sit humus, macie planta conficietur ac extabescet; vel succo inutili nec proprio farta et satiata affatim, sterili foliorum ornamento luxuriabit, umbraque vicinas premet importuna, atque aduret.

Nihil itaque melius ad rem nostram facit, quam allata similitudo, in qua si ager naturae sinum et gremium, ex quo artes prosiliunt ac scientiae, atque nutriuntur, commode exhibet; cultoris pariter prudentia atque ars, Philosophiam refert; quae singulas naturae partes percontata, sollertiam ejus, ratasque leges studet intelligentia complecti. Quae cum

ita sint, nemo non videt, ubi Philosophia desit, nullas prodire artes, nec augescere, quae delectationem aut utilitatem homini ferant; ubi vero falsa sit, vel inanis, ita ut naturae vim, ejusque interpretationem nesciat, illas quoque penitus deformari, faedeque corrumpi. Nonne idem in corporibus experimus, in quae siquando corruptus vitiatusque humor penetraverit, seque per venas ac membra diffuderit; difficili valetudinis genere tentantur, faciei color ac venustas deperit, vires debilitantur et franguntur? tum vero gravis ingruit morbus, atque anceps aegrotatio. Quapropter non aliunde, quam ex verae germanaeque Philosophiae visceribus firma sunt petenda oratori argumenta, inde verae rerum species, inde vel ipsa verba, quod alicui mirum fortasse videbitur, dicendique modi; quibus rebus ad propositum finem recta perveniat. Nonne ex eodem fonte desumunt poetae quae imitentur, easque veneres atque ornamenta, quae suis poematis gloriam et laudem ex omni aetate adipiscantur? Quam bene utrisque convenit illud Horatii:

Respicere exemplar vitae morumque jubebo....
Scribendi recte sapere est et principium et fons;
Rem tibi socraticae poterunt ostendere chartae.

Quid ergo in causa fuisse arbitremini, quamobrem tot oratorum scripta, tot poetarum carmina tam cito interirent, atque oblivione delerentur; nisi quia non naturae auctoritatem, sed praeposteram philosophandi rationem secuti, eloquentiam ipsam, aut poesin turpissime foedarint et corruperint? Contra ea videte, quaeso, Homerum, cujus scripta vivunt, viventque in omne aevum, de cujus praeclarissima fama nulla unquam aetas conticescet, Homerum videte, inquam, ejusque sagacitatem in naturae imitatione considerate: tum ejus nomen tanta luce merito illustratum fuisse perspicietis. Nam licet magna sonet, atque omnia animi quadam inflammatione fundat, et quasi furoris afflatu, ut magnum poetam decet, nunquam tamen a naturae norma aberrat, atque adeo nunquam ab rerum formis avertit oculos; ut a viris doctissimis emunctae naris philosophus habeatur. In descriptionibus nonne naturae ipsius tibi videris opificia contueri? nonne de causis, de effectis, quae ipse contexuit, deque animorum commotionibus idem prorsus judicabis? Neque Tullius pariter, neque Demosthenes ex adversariis tot victorias retulissent; nisi philosophorum deambulationibus dediti, et doctrinis instituti, men-

tis et voluntatis humanae mores atque ingenium didicissent:

.........Mentem mortalia tangunt.

Quid? si Torquatus noster non tam naturae imaginem in scriptorum libris adumbratam, quam eamdem ipsam naturam intentis esset oculis contemplatus; nonne majori gloria frueretur, ejusque heroicum poema, ut de hoc tantum loquar, aristarchorum notas effugisset? Atque eodem pacto Aligherius, nisi in angustias ac dumeta nescio cujus philosophiae fuisset forte delatus, in aliquibus locis, ex quibus nunquam divinus esset appellatus, non tantopere a viris doctissimis reprehenderetur.

Sed quamvis perversa, aut inepta philosophiae ratio artes et scientias evertat ac perdat; venia tamen concedenda illi est, qui, veluti tempestate raptus, in eam casu et fortuito hospes defertur. Non oratoris ergo, non poetae nomine dignus habebitur; cum sibi tum aliis nocebit; sed cum minime prava sit voluntas, malum non latissime serpet. Illi autem perridiculi sunt, imo enimvero acriter vehementerque vituperandi, qui stulta quadam animi levitate praeclarissimae disciplinae nomen prae se ferunt atque ostentant, rati se stabilem ex hac scientiae simulatione gloriam consecuturos.

Verum enimvero minime ferendi, imo prorsus exsecrandi ii sunt, qui eo consilio se philosophos profitentur, ut errori inserviant; quo nihil esse potest impudentius. Primos illos non male Phaetonti comparaveris, qui, ut poetae fabulantur, juvenili ardore incensus eo inconsideratae temeritatis et audaciae processit, ut patris Phaebi currum sibi unum diem regendum ac gubernandum deposceret. O si patri morem gessisset, nec tantum valuisset rogando; tantis terra incendiis minime conflagrasset; nec ipse fulmine actus in praeceps, atque in Eridani undas dejectus, inscitiae atque audaciae paenas dedisset. Alteros vero Circes esse similes dicemus, quae ut poetae comminiscuntur, homines fallacibus invitamentis illectos intra domus suae fines trahebat, ut eos magicis artibus, quibus improba delectabatur, in bestias ac feras commutaret. Infelix saeculum, quid Philosophiam jactas? quid tibi de scientia blandiris? quid assentatores quaeritas? cum nullo unquam tempore in tam immane flagitium homines prolapsi sint, ut tantam vitae magistram, fidamque mentis adjutricem conjurati dedita opera dedecorarent.

Et re vera quam multi hodie Philosophiam impotenti amore depereunt! Nominis et cele-

britatis ejus splendore capti eam colunt, assectantur, acta, motus, voces tandem ipsas simulare curant et reddere, quarum significationem minime assequuntur; sed balbutiunt, et psittaco similes germanae Philosophiae aeque ac fallacis verba usurpant; errorem et veritatem juxta aestimantes. O stultissimam levitatem! O impudentissimam arrogantiam, dignam quam bonus quisque et prudens oderit ac detestetur! Quisquis enim mentem falsis opinionibus, praeposteris ineptisque rerum notionibus infecerit, quo possit modo certas sanctasque naturae leges intelligentia complecti? quo ejus penetralia contingere? Veritatemne agnoscet, cujus vultum vidit nunquam? In senatu, in foro, pro rostris hic orator sermonem habeat: quid dignum proferet? Num quae dicet veri similitudine fulciet? num ita affectus permovebit modo remisse, modo incitatius, ut causa postulat; itaque se geret, ut nunquam a naturae consuetudine abhorreat? an vero insulsa, frigida, inepta effutiet? atque adeo cum expectationi aliena, tum utilitati auditorum, ipsique causae contraria proferet? ut non modo animi accomodate ad persuasionem minime permoveantur; sed etiam in Oratorem ipsum incitentur, eumque moleste ferant,

et exsibilent. Si autem ad poesin philosophus vere egregius se convertat; quae portenta, quae monstra confinget?

> Delphinum sylvis adpinget fluctibus aprum.

Quibus ubi rabido ore personuerit, atque ima summis imperite miscuerit, tum se magnum aliquid exsultans perfecisse, tum docuisse et delectasse existimabit. Illud enim vero fiet, quod Horatius dixit:

> Si dicentis erunt fortunis absona dicta,
> Romani tollent equites, peditesque cachinnum.

At amentes et lymphatos homines tandem relinquamus, qui non naturam Philosophia duce sequuntur, non rationi consentanea; sed contraria et pugnantia confingunt: quorum insanos labores quisque prudens contemnendos arbitrabitur.

Ad illam potius hominum infaustam et perniciosam consociationem descendamus, ad illam scilicet nationem philosophorum, qui nullam homini in philosophando legem esse voluerunt; sed liberam quidlibet audendi potestatem; qui idcirco, ut antea dixi, Philosophiae nomen praetendunt, ut facilius erroris imperium sistant, et communiant. Innocens atque innoxia caeli alumna diris, eheu! compedibus vincta, per vim impellitur ad faeda ministeria,

quae refugit ipsa ac perhorrescit. Quis jam non doleat cum viderit providae hujus castaeque reginae sceptrum, ut ita dicam, in letiferum gladium, quo homines jugulentur, converti? nectar vero, quo mentes sedula nutrit ac recreat, in venenum commutari? Si tanto in humanitatem odio exardescitis, si tanta vobis malorum cupido incessit; in hominum solatia, ornamenta, praesidia furentes irruite: haec omnia evertite jam scelesti ac destruite, licebit; at moribus parcite, parcite legibus, Religioni parcite. Sed mens, eheu! immota manet; et quo magis inceptum urgeant, artes illas, quae maxime delectant, tanquam auxiliariam cohortem, arcessunt; quarum blandimentis et lenociniis hominum animi deliniti capiantur. Quid enim, inquiet aliquis, quos tute criminaris, literatissimos viros, num a rebus, num a natura alienos atque aversos putas? Quid dicam? Non equidem inficior in physicis rebus investigandis multam illos curam atque operam ponere; sed quae inde arripuerint, praejudicata opinione in veritatis damnum vertere moliuntur: non enim magis ut novi aliquid eruant, laborant, quam ut quae male defendunt, ratione aliqua confirmare videantur; multam in physicis curam ponunt, sed ita, ut ea quoque quae abdita

sunt, atque ab omnium intelligentia sejuncta, se posse assequi stulte arroganterque confidant; sed ita, ut in homine naturam minime labefactam, verum adhuc integram esse non minus stulte, quam perfidiose, sumant et asseverent; sed ita, ut ad hanc universi machinam, seu communem rerum naturam liberae Dei voluntati parentem, tanquam ipsa sit Deus, omnia referri debere contendant. Proh! immensam animi stultitiam! proh! impudentiam singularem! Quam latus hic disputationi campus pateret, si eorum dolos, si fallacias aperire vellem, et tenebricosa consilia proferre? si usurpatam ab illis conqueri in litteraria republica dictaturam, quo facilius facultatum, atque artium omnium potirentur, ut illas in suam sententiam impune deflecterent? si denique principia illa ac dogmata, quibus caetera omnia, vel invita et depravata subjiciunt, expendere? Sed virium mearum, temporisque ratio monet inter breviores terminos orationem mihi esse cohibendam. Illud tamen silentio praetereundum non est, ut ad propositum redeamus, corrupta ab illis ipsa hoc modo Philosophia, reliquas quoque humanas scientias vitiari oportere, cum per illam scientiae non minus atque artes cohaereant.

At primo quidem de moribus praeclare ii disputabunt, quibus jam statutum sit hominum cupiditatibus morigerari? qui nullis virtutes laudibus et praemiis foveri, nullis vitia paenis retundi oportere profiteantur? qui ita homines a natura in terram projectos praedicent, ut nescio dono, an oblivione ipsius naturae, infinita libertate abuti possint? Quis non videat ex hoc uno principio, ut caetera omittamus, omnes infringi leges, totamque hominum societatem, qua nihil utilius, nihil jucundius, nihil denique optabilius esse potest, omnino dissolvi, inque magnas turbas et miserias detrudi? Quidni? Non verebitur ergo parentes filius? non sibi colendos putabit? non eorumdem voluntati parebit? Nulla ergo connubii fide, nulla religione, non vinculo stabili uxor marito conjungetur? Bona, vitamque ipsam quisque alteri eripiet impune, nisi vi vim illatam defendere valeat? Quae inde mala, quam luctuosa in hominum genus emissa profluerent! Si haec sunt Philosophiae praecepta, si hujusmodi mores inducere inter mortales potest, ex omnibus terris jam exterminetur, ejusque nominis vel memoria deleatur. Sed invidiose haec Philosophiae nota inureretur; cum illa contra virtutis stimulos acuat, aeternaeque legis ve-

stigia mentibus impressa commonstret, quae perditos mores cohibere valeant. Integram tamen primigeniamque legem, quae singulas hominum actiones rectissime censeat, unus novit Deus Optimus Maximus, qui et hominem finxit, et ejus menti incorruptam morum regulam insevit, quique iterum ejus oculis, postquam eam lacrymabili illo casu faedasset, lapidi insculptam objecit. Quid igitur? ab istis nunc non ea saltem requiremus, quae olim acute de moribus Plato, quae Seneca, quae Tullius, quae sexcenti tradiderunt? Avertant oculos a caelesti luce, si tantus caecitatis amor, vel si tanta eos scelerum flagitiorumque paena vexat: esto: miseros esse libenter jubeamus: at proferant saltem naturae propiora, non autem contraria, non absurda, tamque ipsi mentis rationi inimica et infesta. At enim philosophi, quos a naturae norma aberrare, mentisque humanae jura pervertere, violare, corruptosque mores invehere insimulamus, vitia et ipsi oderunt et insectantur, virtutes autem amant et tuentur. Itane vero? *Annon et Epicurus laudat et saepe virtutem? quandoquidem de sanctitate*, utar verbis Ciceronis, (1) *et de pietate libros ipse scripsit, postquam omnem funditus sustulit religio-*

(1) Cic. Tusc. 3. 20. De Natura Deor. 1. 14.

nem: et templa atque aras, non manibus ut Xerses, sed rationibus evertit. Longum esset, si cuncta persequi vellem, quibus affirmare non dubitant naturalem conditionem hominum illam esse, ut omni cultu, tum artibus et virtutibus careant; sed cum primis terris prorepserunt, mutum et turpe pecus, ut ait Horatius, unguibus primum et pugnis, deinde fustibus pugnasse, aliisque armis, quae usus fabricaverat: tandem longa experientia edoctos absistere bello caepisse, et urbes condere; ut societatem inter se, communitatemque coirent. Haec igitur fabulosa philosophi, atque a priscis illis poetis conficta arripuerunt, ut quae de rerum natura, de hominum genere, de moribus sentienda essent, caeteros edocerent? Sed me istorum philosophorum pudet, qui non jam certis innixi principiis veritatem consectantur; sed praejudicatis opinionibus mancipati feruntur in praeceps, vitia et virtutes, turpe et honestum juxta aestimant; qui nedum in semetipsis, verum etiam in aliis igniculos illos a natura datos, et virtutum semina interimunt; nec minus furiis agitantur, atque Hercules cum Centauri vestem induit, vel Orestes post immania, quae patraverat facinora. O utinam sapientes illos imitati Thaletem, Anaximan-

drum, Pythagoram, Empedoclem, caeterosque, qui ante Socratem extiterunt; nunquam de moribus, neque de iis rebus, quae ad sortem beatitatemque hominum pertinent, disputassent. Nam etiamsi in aliis rebus a veritate vel maxime deflexissent, esset tamen ferendum. *Duo esse haec maxima in Philosophia*, ait Tullius, *judicium veri, et finem bonorum: nec sapientem posse esse, qui aut cognoscendi initium ignoret, aut extremum expetendi.*(1) Sapientis ergo nomine minus digni essent, quippe in uno ex duobus quoad nonnulla peccarent, sed neque a vitae felicitate homines, neque a summo bono, in quod naturae ipsius necessitate feruntur, deterrerent. Si de stellis potius, de monadibus, de verticibus, de gravitatis causa, de horrore vacui decertassent, de quibus miranda licet portenta commenti essent; non vitae tranquillitatem fortasse, non antiquos mores tantopere desideraremus. Fugiant, eheu? fugiant adolescentes hominum perditissimorum insidias, eorumque volumina vel attingere perhorrescant. Ad illos autem tuto accedant, qui recte philosophantes mutua societatis officia, singulorumque hominum mores, certis innixi notionibus et principiis, ab ho-

(1) In Lucullo.

minis ipsius natura, atque a naturalis legis perscripto, necessaria consecutione derivant.

Sed qui arrogantes ac tumidi tum de Philosophia se bene meritos arbitrantur cum nova, inaudita atque impia protulerint; quique singulorum hominum mores corrumpere ausi sunt, eos speremus nocendi finem facturos, sibi temperaturos, quin et in alias scientias perrumpant? Etenim revulsis repagulis verecundiae et pudoris, audacia late grassatur atque licentia. Quantas edent ruinas et clades, si in curiam, vel in regum aulas irrepserint; ubi sors agitatur populorum, ubi jura, leges, consulta conduntur! Difficile atque arduum est imperare populis, et imperii clavum tenere, et gubernacula tractare reipublicae. Non is ego sum, qui philosophos a regum et principum consiliis amovendos putem, nec me Platonis fugit sententia: *Non prius desinere humanum genus in malis versari, quam aut recte vereque philosophantes rerumpublicarum gubernationem adepti fuerint, aut hi, qui gubernant, divina quadam sorte vere philosophentur:* sed illos a politicis consultationibus, veluti hostes infensissimos, arbitror prohibendos, qui manca aut minus recta institutione eruditi, alucinantur; maxime autem illos,

qui se ideo philosophos profitentur, ut suae cupiditati ac perfidiae lenocinetur amplissimum nomen: qui, ut dicitur de furioso illo Stolone tribuno plebis, omnia infima summis paria faciunt, turbant, miscent: qui ad bellum ab ipsa natura effectrice hominem destinari docent; nihil rationem valere, sed vim; populum non Dei voluntate, sed mutabili quadam stipulatione et conventis, regum subjici potestati et imperio: qui denique hujusmodi plurima ita minantur atque urgent, ut societatis fundamenta non modo labefactare, sed penitus convellere videantur. Quid enim mali expectari non debet ab hujusmodi suasoribus, qui de communi hominum natura perperam loquuntur, qui singulorum populorum ingenium ignorant, qui loci, qui temporis nullam habent rationem? Quis autem inficiabitur ex praejudicatis falsisque principiis incerta et falsa deduci? Optime Cicero: *Teneamus illud necesse est*, ait, *cum consequens aliquod falsum sit, illud, cujus id consequens sit, non posse esse verum* (1). Quae igitur rectae rationi, quae communibus hominum sensibus, quae rebus ipsis adversantur, dicenda erunt vera? Quorsum enim bonorum omnium querelae, quae

(1) Defin. 4. 24.

ob immanem tot iniquorum libellorum colluviem excitatae sunt? Quorsum regibus, rebusque publicis admotae collegiorum et pontificum preces et obtestationes, ut tanta morum et religionis pernicies averteretur, et iniquorum nefarii conatus atque insidiae compescerentur? Itaque quicumque in legum rogatione, atque in reipublicae administratione, rectae rationi ipsique naturae obluctantur; serius ocius imperii excisionem et ruinam parant. Quid de re cuivis notissima exempla proferam, quae abunde omnis suppeditaret historia? Leges enim naturae adeo firmae sunt, et, ut ita dicam, ineluctabiles, ut nulla intercessione abrogari, nulla vi alio torqueri aut verti, nulla arte eludi possint. Unde tot urbium, regnorum et rerumpublicarum excidia? unde populorum rebelliones ac defectiones? unde innumera mala, quae subjectas gentes saepissime exagitarunt? Cum enim hujusmodi consiliarii non prudentiae, non sapientiae, non germanae Philosophiae dictata sequantur, sed inflammati odio virtutis ac furentes, tum vanitatis, avaritiae, crudelitatis quasi vinculis obstricti, veris falsa, utilibus noxia, honestis turpia componant; fieri nequit, quin imperii moles rebus inter se pugnantibus oppleta tan-

dem aliquando corruat ac dissolvatur. Quod si asserere Plato non dubitavit, musicorum cantibus mutatis, mutari civitatum status; quanta cura et vigilantia iis, qui ad rempublicam accesserint, videndum est, ne quid minus rectum, ne quid repugnans, ne quid intempestivum in probatos mores inducatur? Jam vero bella, et amicitias cum finitimis, aut longinquis nationibus, quanta consilii maturitate decerni, aut conservari debent? quanta animi praevidentia ac metu casus omnes expendi? Ecquis igitur praestare haec poterit, nisi fuerit optimis disciplinis excultus? nisi tuta philosophandi methodo educatus et altus? nisi veri inveniendi rationem edoctus? Quae si desint, nec bene rempublicam administrare, nec ejus opes tueri atque augere poterit: non illas artes alere, quae belli praebent subsidia, et pacis ornamenta. Quam merito Tullius in eos philosophos acriter invehitur, qui praepostere de legibus disserebant! *Sibi indulgentes*, ait, *et corpori deservientes, atque omnia, quae sequantur in vita, quaeque fugiant, voluptatibus et doloribus ponderantes* (1) *etc. . . . . in hortulis suis jubeamus dicere, atque etiam ab omni societate reipublicae, cujus partem nec norunt*

(1) De Leg. 1. 13.

ullam, nec unquam nosse voluerunt, paulisper facessant, rogemus. Perturbatricem autem harum omnium rerum Accademiam, hanc ab Arcesila et Carneade recentem, exoremus, ut sileat. Nam si invaserit in haec, quae satis scite nobis instructa et composita videntur, nimias edet ruinas. Quam vellem multi nostrae memoriae philosophi siluissent, nec tantas ubique edidissent ruinas; vel de cive, de jure civili, et gentium; de jure belli et pacis; de pacto, quod sociale vocant; deque aliis plurimis rebus meliora proposuissent in publicum.

Sed cum satis multa de re proposita dicta sint, atque ita, ut ad alias quoque hominum scientias commode possint transferri; nihil jam de naturali theologia, nihil de medicina, nihil de caeteris scientiis et artibus addendum existimo, ne abuti videar patientia vestra, neve ultra debitos fines excurrat oratio. Cum igitur artes, ac scientiae a natura procreatrice quadam, et quasi parente, exsistant; a Philosophia vero, veluti nutrice, foveantur, ut adolescant ac perficiantur; illud quoque manifestum est, perversam philosophandi rationem eas corrumpere ac perdere. Quae cum ita sint, adolescentes hortemur, ut integram Philosophiam et since-

ram desiderent, ament, in deliciis habeant, amplectantur: hanc consequi enixe studeant eloquentiae parentem, poesis altricem, scientiarum atque artium firmamentum ac robur, mentisque humanae decus ac perfugium. Non igitur cuicumque se instituendos permittant, nec Babylonios illos imitentur, qui, ut memoriae prodidit Herodotus, ubi quis aliquo morbo corriperetur, in urbis plateam deferri jubebant, ut quisquis illac transiret, de aegroti statu judicaret, et medicinam doceret. Illud igitur maxime pertimescant, ne in illorum disciplinas deferantur, a quibus non novis cognitionibus ditati, sed et iis, quae vel a natura acceperint, vel studio comparaverint, spoliati discedant: quemadmodum contigit Polyaeno illi, qui licet magnus mathematicus haberetur, tamen postquam dubitantem Epicuri doctrinam amplexus est, tanta in eo mentis depravatio facta est, ut ea quae probe animo comprehenderat, dedisceret, totamque geometriam veluti falsam vituperaret.

Quapropter gratulandum nobis est his adolescentibus, qui curae tuae crediti, P. A., prudentiae, virtuti; atque in hoc musarum domicilio collocati, tutissimam nacti sunt studiorum rationem, optimeque constitutam, ne forte an-

cipiti rerum specie fallantur, sed reca ad id properent, quod est in singulis disciplinis perfectum atque absolutum. Et quoniam me, singulari benevolentia, qua me complecteris, in tuarum curarum jussisti partem venire, nunquam committam profecto, ut meam operam diligentiamque desideres.

Vobis autem gratias et agere et habere maximas debeo, Aud. Hum. qui magna mihi indiserte dicenti patientia et benignitate aures praebuistis, quique optimis artibus exculti, ut vestram in litterarum rempublicam voluntatem et favorem ostenderetis, huic causae magna frequentia affuistis, in qua scientias atque artes a fallacis Philosophiae tyrannide vindicavimus: ex quo quidem vestro in litteras amore ac studio spero, hanc urbem praeclaram, quae optimis semper studiis floruit, atque etiam nostra hac aetate eximia ingeniorum laude excelluit, decus illud et gloriam, quam a majoribus accepit, perpetuo conservaturam.